

mâ dextrâ cancerum excitatum elegans exemplum ab excellentissimo *D. D. Wedelio in axænit. Mater. Med.* annotatum legimus, ubi quoque simul manifestum fit, materiam illam per *συναρτησιμὸν* in mammâ affectâ collectam fuisse, factâ scilicet stasi & ichorefcente lymphâ.

Obstructiones viscerum, plurimorum aliàs morborum matres, suum quoque huc conferunt symbolum. Perpetua enim viscerum primæ ac secundæ coctioni inservientium humorumque uti necesse est harmonia, ita à naturali statu secedens cruditates ac vitia primæ culinæ non solum parit, sed etiam in depuratoriis vix corrigibilia ipsi massæ sanguinæ miscet, fonti tam humorum omnium, quàm morborum omnium.

Huc quoque spectant causarum quædam externarum, *terror, fractura* vel fissura vasis neglecta, nimia thoracis *constrictura*, quando juvenulæ amant incedere juncæ, mammasque cogere nimium; aut contrectatio glandularum partium fortior ac impetuosa. Utriusque hujus exemplum licuit mihi observare ex praxi Magnif. *D. D. Præsidis.* *Illud* in virgine nobili, *hoc* in juvenula plebeja, cujus mammam dextram temerarius violentâ manu contrectavit, ut dolorem & tumorem reliquerit. Nihil verò hæc curans juvenula, molestias ac tumoris infecutam duritiem patienter toleravit, usque dum cancrofa facta tota mamilla exulceratum exhibuerit, horribilem aspectu cancerum, cuj⁹ malitia intra sex menses omnes simul occupavit glandulas axillares, jugulares, tonsillas ac parotidas, interitum certissimum indicantes, qui brevi post infecutus est. *Illâ* verò ex mero pudore omnia reticuit, usque dum exulceratione factâ ob vitium lymphæ hujusque defectum nutritibilis macie occupata fuerit incorrigibili, ad mortem, quæ citò citiùs infecuta, illam ducente.

Vias sive vasa quod attinet, arteriosa in toto corpore ubique præsentia deprehendimus, quæ uti adducunt omnibus partibus nutrimentum, ita simul cum hoc vitium illud peregrinum massæ sanguinæ permixtum ducere possunt,

sunt,